



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1848

MDCCCXCVI. Papst Sixtus dehnt das Privilegium seines Vorgängers
Nicolaus, wegen der geistlichen Jurisdiction in der Mark an die
Regierungszeit des Kurfürsten Albrecht und aller Nachfolger desselben ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56633)

MDCCCXCVI. Paps Sixtus dehnt das Privilegium seines Vorgängers Nicolaus, wegen der geistlichen Jurisdiction in der Mark auf die Regierungszeit des Kurfürsten Albrecht und aller Nachfolger desselben aus, am 2. März 1471.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc nos Deus in Apostolica sede meritis licet insufficientibus constituit, et pre ceteris mortalibus primatum obtinere disposuit, ut jus suum cuiuslibet illesum conservemus et efficacem operam demus, que a Romanis pontificibus predecessoribus nostris emanasse comperimus, sublatis quibusvis dubietatibus suum plenum forciantur effectum, illaque amplius, prout catholicorum principum exposcit devotio, causa rationabilis svaderet et id in domino conspicimus salubriter expedire. Dudum siquidem felicis recordacionis Nicolao Pape et predecessori nostro pro parte clare memorie Friderici Marchionis Brandenburgensis, Romani Imperii Electoris, exposito, quod plerumque contingebat, Vasallos et subditos Marchionatus Brandenburgensis et dominiorum sue temporalis dicionis coram diversis conservatoribus ecclesiasticis personis contra inferentes eis in rebus et in iuribus ad eas pertinentibus molestias vel jacturas per sedem apostolicam deputatis et eorum commissariis et etiam ordinariis iudicibus et eorum loca tenentibus extra loca incolatus vasallorum et subditorum ac ultra districtum Marchionatus et dominiorum huiusmodi pro levibus et minimis secularibus causis ad iudicium evocari, quamvis ipsi vasalli et subditi coram propriis suis iudicibus ecclesiasticis vel ab illis deputatis in locis incolatus huiusmodi, seu illis vicinioribus, ubi idem proprii vel ab aliis deputati iudices infra marchionatum et dominia predicta constituti forent, parati essent stare juri, nedum in eorundem vasallorum et subditorum verum etiam ipsius Marchionis, qui eos tueri tenebatur, non modicum prejudicium et gravamen; Idem Nicolaus predecessor, ejusdem Marchionis in ea parte supplicationibus inclinatus ipsi Marchioni et vasallis et subditis Marchionatus et dominiorum predictorum generose indulgit, quod nullus ex quibuscunque conservatoribus ecclesiasticis personis contra inferentes eis in rebus et iuribus ad eos pertinentibus molestias vel jacturas per sedem apostolicam deputatis et eorum commissariis ac etiam ordinariis iudicibus et eorum loca tenentibus obtentu quarumcunque litterarum conservatorialium a sede predicta impetratarum, tunc vel impostero impetrandarum aut ordinarium auctoritate, ipsos vasallos et subditos presentes et posteros vel quemquam ex eis extra loca sui incolatus vel illis viciniora infra districtum Marchionatus et dominiorum huiusmodi consentientia, ubi proprii ipsorum iudices ecclesiastici deputati forent, pro quibusvis causis mere proventus vel injurias ecclesiasticorum non contingentibus, ipsis vasallis et subditis invitis, in causam trahere aut ad iudicium evocare posset, dummodo iidem vasalli et subditi super querelis adversus eos pro tempore propositis coram propriis ecclesiasticis iudicibus vel ab eis deputatis huiusmodi parati essent stare juri certis iudicibus desuper deputatis, qui premissa omnia et singula facerent per censuram ecclesiasticam observari, prout in literis ipsius Nicolai predecessoris, quarum tenores haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii, nobilis viri Alberti, Marchionis Brandenburgensis petitio continebat, dictus Fredericus Marchio fuerit vita functus,

ac cause predicte adhuc subesse noscantur, a nonnullis quoque vocetur in dubium, literas predictas ad successores et heredes ipsius Marchionis se non extendere, pro parte dicti Alberti Marchionis, qui etiam Romani Imperii Elector et, ut asserit, prefati Frederici Marchionis germanus extitit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad omne ambiguitatis tollendum dubium indultum huiusmodi approbare et confirmare, illudque et omnia singula in dictis literis contenta perpetuo stabilire, et nedum vivente ipso Alberto sed ad heredes et successores suos perpetuo extendere, aliisque in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati indultum ipsum ac omnia et singula in dictis literis contenta auctoritate apostolica tenore presentium approbamus et stabilimus, plurimumque firmitatis robur perpetuo obtinuisse et obtinere decrevimus, illaque nedum vivente ipso Alberto sed ad heredes et successores suos perpetuo extendimus universisque vassallis et subditis presentibus et futuris Marchionatus ac predictorum dominiorum ubique existentium pariformiter concedimus. Et nihilominus, venerabilibus fratribus, Lubucensi et Brandenburgensi et Havelbergenfi Episcopis, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa omnia et singula, ubi et quando expediri viderint, solenniter publicantes prefatisque Alberto Marchioni, successoribus, incolis et habitatoribus efficacis defensionis presidio assistentes non permittant, eos vel aliquem ipsorum contra tenorem predictarum, vel presentium literarum quomodolibet molestari, sed faciant eos et quemlibet ipsorum indultis et literis huiusmodi pacifice frui atque gaudere et illa inviolabiliter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus premissis ac bone memorie Bonifacii Pape octavi etiam predecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue dioceses ad iudicium evocetur, seu ne iudices a dicta sede deputati extra civitatem vel diocesim, in qua deputati fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii vel aliis vices suas committere presumant ac de duabus dietis in concilio generali nec non de personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non omnibus illis, que idem Nicolaus predecessor noluit non obtinere ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostre approbationis, stabilimenti, constitutionis, extensionis, concessionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, sexto Nonar. Martii, Pontificatus nostri anno primo.